

# ILLVSTRISSIMO AC

SERENISSIMO PRINCIPI ALBERTO

COMITI PALATINO RHENI, VTRIVSQUE BAVARIÆ

Duci, patrono suo perpetua fide colendo. S. D. P.



**C**V M certò mihi persuasum habeam, Alberte Princeps inclytissime, inter disciplinas ingenuas non infimum sibi locum uendicare artem Musices, non potui omittere, quin uestræ celsitudini, cui me totum dedicaui, fructum aliquem offerrem, & hoc eo lubentius, quòd optime cognoscam, ipsam Musicæ amantissimam, & Musicorum omnium fautricem longè benignissimam. Recordor enim, cum præcipuas Italiae, Galliae, & Flandriae partes peragrarem, mihiq; cum uarijs Principibus & Dominis, ob Musices studium consuetudo, nec tamen exigua esset, nullum inuenisse, qui tantopere artis Musices peritos amauerit, tantisq; ornarit & cumularit honoribus ac beneficijs, tantoq; animi impetu & industria in Musices disciplinis uigilauerit, quàm eadem uestra Celsitudo. Ea propter, Heros illustrissime, idemq; Patrone clementissime, ut grati animi specimen erga te declararem, mihi uisum est, has sacras cantiones pro rudi mea Minerua compositas, non posse maiori Principi, maioriq; Musices studiorum cultori, quàm uestræ Celsitudini partim in meæ erga eandem obseruantie significationem, partim gratitudinis testificationem, dedicare. Munus autem hoc quamuis indignū, quod tanto

A 2 Principi